

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2021-2022  
À rendre avant le vendredi 10 septembre (casier au DSA)

### **Version latine n°1 : Titus Manlius Torquatus**

*En 361 av. J.-C., les Gaulois arrivent tout près de Rome ; une bataille a lieu autour d'un pont sur le fleuve Anio. À cette occasion, un historien relate comment Titus Manlius gagna son surnom de Torquatus.*

Cum interim Gallus quidam nudus praeter scutum et gladios duos torque atque armillis decoratus processit, qui et uiribus et magnitudine et adulescentia simulque uirtute ceteris antistabat. Is maxime proelio commoto atque utrisque summo studio pugnantibus manu significare coepit utrisque, quiescerent. Pugnae facta paua est. Extemplo silentio facto cum uoce maxima conclamat, si quis secum depugnare uellet, uti prodiret. Nemo audebat propter magnitudinem atque inmanitatem facies<sup>1</sup>. Deinde Gallus inridere coepit atque linguam exsertare. Id subito per dolitum est cuidam Tito Manlio, summo genere gnato, tantum flagitium ciuitati adcidere, e tanto exercitu neminem prodire. Is, ut dico, processit neque passus est uirtutem Romanam ab Gallo turpiter spoliari. Scuto pedestri et gladio Hispanico cinctus contra Gallum constitit. Metu magno ea congressio in ipso ponti utroque exercitu inspectante facta est. Ita, ut ante dixi, constiterunt : Gallus sua disciplina scuto projecto cantabundus ; Manlius animo magis quam arte confisus scuto scutum percussit atque statum Galli conturbauit. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scuto scutum percutit atque de loco hominem iterum deiecit ; eo pacto ei sub Gallicum gladium successit atque Hispanico pectus hausit ; deinde continuo humerum dextrum eodem concussu incidit neque recessit usquam, donec subuertit, ne Gallus impetum icti haberet. Vbi eum euertit, caput praecidit, torquem detraxit eamque sanguinulentam sibi in collum inponit. Quo ex facto ipse posterique eius Torquati sunt cognominati.

Aulu-Gelle

---

<sup>1</sup> Forme ancienne de génitif.